


11.



*Eleganter inquit Præstans Solersq; Natura Explo-  
rator & Interpres Salomon Proverb. cap. 25. vers. 11.*

Velut mala aurea cum figuris argenteis, est  
verbum dictum commodè.

DISQUISITIONES HISTORICO-MEDICO-  
CURIOSÆ PRIMÆ

DE

PESTE ÆRUMNOSA,

QUAS

*Occasione truculentissimæ grassantis Pestis, quæ jam aliquam Ger-  
mania partem diris furis peragrat, D. XXX. Octob. coram  
multis Variarum Rerum Amatoribus enu-  
cleare inchoavit*

ISAACUS SCHOOCKIUS, PHILOS.  
PRACT. PROF. ORD. ET HISTOR. NA-  
TURAL. EXTRAORD.

*Aspirante Gratiâ ILLIUS, Qui hætenus nos omnes in Marchiâ  
à Peste venenatâ clementissimè liberavit.*

**R**ECENTISSIMÈ à Psalmistâ Psal. 91. v. 3. comparatur  
Pestis aucupis laqueo, quia festinatò nihil tale  
opinantes obruit: sicut aves laqueis irretitæ  
properanter capiuntur, etiam cum ludunt &  
cantant, tanquam extra omne periculum po-  
sitæ: aut sicut muscæ telis aranearum impli-  
cantur. Eandem Pestem *vers. 5.* nominat terrorem noctur-  
num, & sagittam volantem per diem. Sicut enim sagitta  
ex arcu fortiter intento emissa, celeri volatu magnum aë-  
ris tractum permeat, & quasi momento metam ex longo  
intervallo oppositam ferit: ita Pestis venenum non tantum  
fomite & contactu propagatum, sed & expiratione ege-  
stum

A

stum

## DISQVIVISIONES CURIOSÆ.

stum à corporibus infectis, & halitu impulsum, & micantium arteriarum vibratu excussum, magnâ celeritate trajicitur in circumstantes ex intervallo, vel in aërem impressum ad hujus motum dispergitur longè lateque, & obvios quosq; feriens, ingentem omni ex parte, & horribilem stragem edit. Lucidissimum sidus artis Æsculapiæ Galenus *de Iberiac. ad Pison.* inquit, quod Pests ceu fera quædam venenata, non paucos aliquos miserè perdat, sed totas Civitates depopuletur. Villanovanus *cap. 2. epid. antid.* scribit, pestem humanam pecora non invadere, & vice versa, frequenter homines sanos ac sospites degisse, interim contagiô pestiferô multas armentorum myriades catervatim prosterrente. Cujus rei historias describunt Michael Saxo *in Cesarum Chronic.* & Matthias Mechovius *in Chronic.* Fernelius *lib. 2. Abdit. cap. 12.* refert anno 1514. irrepsisse Pestem, quæ solos feles corrupuit. *Leg. Diodor. Sicul. lib. 14. Biblioth. ubi agit de Chartaginesium Pestil. Hier. Mercurial. lib. de Pest. Angel. Sal. Tract. de Pest. Mart. Schoock. Diff. de Contagio. Pre omnibus aliis diligenter lege Isbrandi Diemerbroeck. lib. 4. de Peste.*

## DISQVIVITIO PRIMA.

*An Pests (quam Lucretius & Paracelsus vocant Pestilitatem) omnium peracutissimorum morborum sit perniciosissimus?*



Ntequam ad hujus Disqvisitionis enodationem deveniam, CONSERVATOREM Generis Humani cordis contriti lachrymis & ardentissimis precibus invoco, ut propter infinitam suam clementiam morbum hunc truculentissimum à nobis omnibus sub Piissimi, Justissimi ac Serenissimi ELECTORIS BRANDENBURGICI

GICI

DE PESTE

3

GICI Clypeo viventibus, averruncet. Sicut DEUS Opt. Max. nos ante paucos annos, singulari & incomparabili militari prudentiâ Inviçtissimi & Clementissimi Nostri Domini periculo hostium eripuit, ita etiam nunc omnes incolumes servare, & à morbo maximè contagioso liberare, potest: Nam Ipsius manus numquam abbreviata est ad juvandum & conservandum. Cum igitur primarium ac præcipuum præservativum contra Pestem sit, iram & indignationem DEI erga nos placare, omnibus hominibus & speciatim peccatoribus persuadeo, ut in tempore serió & cordicitus veram poenitentiam agitent, & putida sua peccata omittant. Eleganter rarum sapientiæ lumen Seneca dixit: *Pœnitet peccasse, penè est innocens*, Leg. meas Disquis. Curios. *de Grandine*. Quodsi tandem DEO placeret, nos ex hoc corrupto & perverso Mundo avocare (quemadmodum necessariò semel vel apoplexiâ, vel febrî, vel dynteriâ, vel phthisi, vel dyspnœâ, vel leucophlegmaticâ, vel arthriti, vel aliâ ratione Legi Naturæ satisfaciendum est) ut pretiosam animam nostram in Regnum cœleste gloriosum ex merâ misericordiâ recipiat, quod fidelibus suis præparavit, ubi nec Diabolo, nec morti, nec peccato, nec ulli corruptioni quidquam potestatis; ubi possidemus veram quietem, perfectissimum gaudium, nos in præsentîâ nostri Creatoris unicè delectando. Quicumq; taliter se præparabit & constanter resolveret, illi id ipsum certissimum remedium contra Pestem, à quâ omnium viscerum & imprimis cordis functiones læduntur. Deo in partes sollicitato, pallium meum compono & doceo, quod morbi acuti dicantur, qui rapidè & cum vehementiâ quadam periodum suam absolvunt, ac proindè cum maximo periculo agunt. Hos celeberrimi Medici dispescuerunt in tres ordines, nempe in acutos, acutissimos, & peracutissimos. Acuti sunt illi, qui vulgariter ad vigesimum, vel ad

A 2

sum-

## DISQUISITIONES CURIOSÆ

4  
 summum non ultra trigesimum diem protrahuntur, atq; illo  
 spacio ægrotis vel salutem, vel mortem adferunt, si diutius  
 perennent, non appellantur amplius acuti. Acutissimi sunt  
 illi, qui ad quartum vel septimum, rarius ad decimum quar-  
 tum diem extenduntur, ut pleuritis, peripneumonia, teta-  
 nus, cholera, angina. Peracutissimi sunt illi, qui citissime  
 ad vitam vel mortem moventur, & rarenter ad quartum,  
 rarius usq; ad septimum diem protrahuntur; quales sunt,  
 apoplexia, pestis, sudor Anglicus. Hisce jam prælibatis sta-  
 tuo & defendo, quod Pestis omnium peracutissimorum,  
 morborum sit perniciosissimus, quia nullus unquam morbus  
 in Rerum Naturâ cognitus fuit, qui tantam stragem in ge-  
 nere humano edit sicut Pestilentia, quod non solum hodie-  
 na exempla docent, verum illud ipsum præter Sacras Literas  
 (quas super hac re videre licet *Exodi c. 5. Levitici c. 26. Jere-  
 mia c. 14. 37. & 51. Jesaiæ c. 37. Ezech. c. 5. & 14. 2. Regum c. 24. &  
 4. Regum c. 19.*) etiam ex Historicorum scriptis id passim li-  
 quet. Eusebius *in Chronic.* refert in illâ Peste, quæ sub Ve-  
 spasiano & Commodo Imperatoribus Romæ sæviit, quotidie  
 decem hominum millia interiisse. Svetonius *in Nerone*, uni-  
 us autumnii Peste triginta hominum millia (ubi politissimus  
 humanitatis vindex Lipsius putat legendum esse 300000.)  
 Romæ occubuisse testificatur. Thucydides, Manilius, & Lu-  
 cretius adeo truculentam Atheniensium Pestem describunt,  
 quâ durante neminem reperire erat, quem vel morbus, vel  
 mors, vel luctus non attingeret. Sub Marco Antonio duas  
 Pestes sæviisse legimus, quibus penè ad internecionem usq;  
 humanum genus deletum est. Procopius *lib. 11. de bello Per-  
 sico*, describit Pestem, quæ in Urbe Constantinopoli quali-  
 bet die quinque, & sæpè etiam decem hominum millia oc-  
 cidit. Illa vero Pestis quæ ab anno 1343. toto quinquennio  
 per totum terrarum Orbem diris furis debacchata fuit, to-  
 tius

tius

DE PESTE

5

tius Mundi dimidiam ferè partem pessundedit, ut refert Ja-  
 cobus Foroliviensis *in exposit. can. 1. Avicen. fen. 2. doct. 12.*  
 Platina narrat sub Bonifacio VIII. Pontifice plures Peste  
 fuisse mortuos, quam superfuisse vivos. De Peste illa, quæ  
 sub Clemente VI. Papâ sævit, testimonio comprobatur Guido,  
 quod vix quartam mortalium partem in vivis reliquerit. Pe-  
 trarcha refert suo tempore, anno 1359. tantam Pestem Italiam  
 invasisse, ut ex millenis quibusq; hominibus vix decem su-  
 peressent. Nicephorus *lib. 17. Hist. Eccles. cap. 17.* narrat, Pe-  
 stem ex Æthiopiâ univèrsam penè Orbem invasisse, ita, ut  
 neminem ferè hominum intactum reliquerit, & totas Civi-  
 rates incolis vacuas fecerit. Cayri aliquando ad decem dies  
 spatio viginti quatuor horarum viginti millia Peste sublata  
 fuisse commemorat Radzevilius *in Itinerar. Hierosol.* Span-  
 genbergius *in Chron.* recitat anno 1348. Erphordiæ una die  
 1500. homines Peste interiisse. Michael Saxo refert anno  
 1453. in eadem urbe unicâ Peste viginti octo hominum mil-  
 lia succubuisse. Qui plures hujusmodi Historias scire defi-  
 derat, poterit haud gravatim legere doctissimum Authorem  
 Plutarchum *in vitâ Camilli*, Paulum Orosium *lib. 7. cap. 15.*  
 Baronium *tom. 2.* Paulum Diaconum & Crusium *part. 1. l. 11.*  
 Leonclavium *in Pandect. Hist. Turc.* Joannem Wolffium *cent.*  
*11. Memor. lect.* Justum Lipsium *lib. 2. de Const. cap. 23.* Geor-  
 gium à Frunsberch. *in Histor. Funccium in Chron.* Blondum  
*lib. 7. decad. 2.* Polidorum Virgilium *lib. 7.* Pomarium, Hedi-  
 um, Riccium Neapolitanum, aliosq; plurimos, qui imma-  
 nissimam Pestis perniciem *novis Historiis* describunt & con-  
 firmant. Historici narrant hanc inusitatam luem Famigera-  
 tissimum Hipocratem depulisse, incensis undiq; sylvis, & sic  
 aère expurgato. Aër, si diu sub terrâ conclusus per respi-  
 rationem attrahitur, nocet animantibus, quia, ut aqua, nisi  
 agitetur, corrumpitur; sic & aër, maximè subterraneus, ex-

13

A 3

hala-

## 6 DISQUISITIONES CURIOSÆ

halationibus tetri odoris inficitur, putrescit quasi & Pestilens efficitur. Aër Pestilens redditur non tantum, cum famus lacuum, cryptarum, fossarum, cadaverum aliarumq; rerum, putrescentium aëri admiscetur, sed etiam, cum præter ordinem nimia est varietas temporis, ut si hyems sit calida & sicca, æstas pluviosa & frigida. Aër corruptus interdum a vibus tantum nocet, interdum aliis etiam bestiis, interdum ipsi quoq; homini, id fieri statuo ex temperamentorum inæqualitate ac dissimilitudine: sicut idem cibus idemque potus quibusdam prodest, aliis nocet. Aër spiritus reddit vivaces, si purus ac subtilis extiterit: suffocat contra, si impurus & crassus. Atq; hinc laudantur Urbes illæ, quæ versus Orientem & Septentrionem sunt constitutæ. Ratio primæ assertionis est, quia Orientalium Urbium situs à cælo, aëre, vento & aquis omnium benignissimam habet influentiam. Nam 1. Ex parte cæli Sol reliquaque sidera orientia primam lucem primosq; radios iis communicant, & sic vires suas in eas primum effundunt. 2. Aër in orientalibus Mundi plagis est purissimus, quatenus radiis Solis temperatus & à crassis virulentisq; vaporibus purgatur. 3. Venti orientales omnium sunt saluberrimi. Ratio secundæ assertionis est, quia venti septentrionales sunt salubriores australibus & occidentalibus, quatenus aërem purificant, intusq; aucto naturali calore concoctionem faciliorem ac celeriore efficiunt. Est malum signum, quando in Urbibus mali coloris homines, aut deformes aut debiles, pauci pueri, pauciores senes reperiuntur. Hinc veterum consuetudo laudatur, quia Oppida aut Castra stativa constituturi pecorum, quæ ibi pascebantur, inspiciabant jecinora: Et si essent livida aut vitiosa, aliò migrabant: quod statuerent idem in humanis quoque corporibus metuendum esse. Ut è diverticulo ad rem iterum redeam: Ignis calor, & aëris per ignem ac suffitus idoneos expurgatio,

tio,



tio, adversus Pestem remedium mihi videtur minimè contem-  
nendum. Nam tempore Artaxerxis Longimani ( sic dicti,  
quod ei dextra longior fuerit sinistra ) læva & inusitata lues,  
Athenis & in viciniâ grassari cœpit; aded ut membra putre-  
facta intra paucos dies deciderent, in aliis capita, in aliis bra-  
chia, in aliis pedes &c. Accedebant furores, in quibus alii sese  
præcipites in puteos abiciebant, alii aliis modis se perdebant,  
& extinguebatur memoria etiam in his, qui convalescebant.  
Ignis obvia omnia consumit & depopulatur, si secundum sub-  
stantiam adsit & formam substantialē, non, si adsit secundum  
virtutem & qualitates. In insulis nonnullis ignes sunt voracissimi; quia insulæ  
istæ ventis undiq; sunt expositæ, aquis circumdatæ & materiâ sulphuræã reple-  
tæ. Plura de Igne legi possunt in Dissertation. MART. SCHOOCKII *de*  
*Elemento Ignis.*

## DISQVISITIO SECUNDA.

Quæ ratio & causa, quod peracutissima Pestis maximè no-  
ceat tempore nocturno & meridie?

In Disquisitionis hujus limine diligenter est annotandum, quod vo-  
cabulum Pestis non semper uno modo sumatur. Interdum in genere sumitur  
pro quocunq; morbo vulgari, qui multos è medio tollit & interimit; sic Ga-  
lenus 3 *Epid.com.3.text.20.* inquit: *Non est certum morbi nomen vulgare,*  
*vel pestilens: Caterum quicumq; in uno loco multos simul invadit, vulgaris*  
*hic vocatur; qui si simul hoc habeat, ut multos perimat, Pestis est.* Interdum  
particulariter significat Pestilentiam, & nonnunquam Pestilentem constitui-  
onem. Sæpè quoq; Pestis nomen detorquetur ad omne id quod in perniciem  
& detrimentum alicujus rei cedit: Sic Architectus Latinitatis Cicero inquit:  
*Tam deestabilis Pestis nulla est, quæ non homini ab homine nascatur.* Alibi  
*malos Consules Imperii Pestes, Catilinam Reipublicæ Pestem, pecunia cupi-*  
*ditatem Pestem in amicitia nominat.* Ita quoq; Terentius *lenones juven-*  
*tutis pestes,* & Seneca *invidiam pestilentem* vocat. *Invidia,* inquit Cicero  
*lib.3.Tuscul. Quest.* est *agritudo ex alterius rebus secundis orta.* Hinc vir-  
tutis comes invidia rectè nuncupatur: nam plerumq; in hisce malis tempo-  
ribus virtutem & bonos insectatur. His breviter præmissis, dico & doceo, ma-  
ximè Pestem ea de causa nocere tempore nocturno & meridie; quia noctu

civl-

8 DISQV. CURIOS. DE PESTE.

*an nocturni* nocturni frigoris densato aëre, seminaria seu inquinamenta volitantia in aëre, veluti coguntur atq; coarctantur, ut & vires suas validiùs contrahant, & velut ex angusto (ut aliqui putant) majore impetu ac vibratu elidantur: sicut ex condensatâ nube, fulmina & venenati halitus exprimuntur. Circa meridiem verò Solis calore latiùs venenum undiquaq; dispergitur, & corpora calore laxata, venenum promptiq; hauriunt atq; absorbent. Si quispiam jejunus rutâ utitur, istâ die à venenis noxam non percipiet. In Hollandiâ tempore Pestis observavi, quòd omnes illi ab eâ immunes fuerint, qui singulis diebus matutino tempore in pane butyrato rutam comedebant. Biliosi sibi caveant ab ipsius usu: nam eos calefacit, quia tenuem sanguinem absorbit, crassum verò relinquit, ex quo generat melancholiam, quæ est balneum Diaboli. Dicitur, si succum ipsius mulier gravida sumat, quòd abortit. Similia præstant folia si quotidiè quindecim devorat. Ruta sylvestris calida & sicca est in tertio gradu; hortensis verò in secundo. Crassos & viscidos incidit succus, per urinam evacuat, & contra inflationes convenit, venerisq; appetitum reprimat, & validè exsiccat. Vis verò rutæ agrestis ignea est, & præcipuè vesicam exculcerat. Ob hanc causam podagrici, qui medicamentum ex agresti rutâ compositum bibunt, malè vesicam afficiunt. Qui ipsam non assumunt, ut plurimum sublevantur. Quidam etiam huic medicamento miscent rutam hortensem, uti minus vesicæ inimicam. Hydropi ex flatu, & ei quem Anasarcam vocant, subvenit; ab aspide ictis auxilio est, iisq; qui papaveris succum, & aconium biberunt; & colicis seu bibitum, seu inferiùs injectum. Dicitur quòd etiam visum acuat comesta, idcirco olim pictores continuo degustarunt. Aliqui quoq; hujus succum melle miscent, & sic collyrium ad visum acuendum conficiunt. Contra urinæ difficultatem in oleo decocta auxilium est, si vesica cum ipsa foveatur: citò etiam prodest si cum melle difficilè spiritum trahentibus detur. Bibita à lethargicis, seu per clysteres injecta, medela est. Solvit dolores coxæ quos frigidi succi causantur, & bibita & emplastri modo inducta. Succurrit etiam citò podagricis, & quos genuum dolor ob pituitosos hamores affligit, doloresq; lenit, & crustas carbunculorum cum melle, vel uva passa imposita tollit. Intestina roborat, non tantum ob caliditatem, sed & propriam virtutem cardiacos adjuvat. Ad hæc hepatis & lienis obstructions tollit. Qui Curiositatis gratia scire cupit, an non detur venenum, quòd à veneficis datum, aptum sit hominem certo die tollere, haud gravatim legat meam Centuriam Curiosam. \* Brevi quoq; habebitis meas singulares observationes de Cometa, qui apparuit Mense Novembr.

1680. Francofurti ad Viadrum.

Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

192. NOV. 1988

SLUB DRESDEN



3 0392352

